



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Vigesimus Septimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



MODVS VIGESIMVS
SEPTIMVS.

MUltum est affinis proximo. Constat etiam
duabus partibus. Prima parte tractatur pro-
positio assumpta, sive ea explicet naturam alicujus
rei, sive proprietates. Altera autem parte, inferun-
tur aliqua principia, ad morum & vitæ emendatio-
nem, ex priori tractatu deducta: eaque amplifican-
tur, ac inculcantur. Tantò autem ingeniosius id
fieri censetur, quanto illationes majorem habent,
cum priori proposito connexionem. Unde etiam
in hoc modo tractandi, possunt in secunda parte
tractari proprietates circumstantiæque rerum, sed
non ut supra eas probando, verum per connexio-
nem cum probatis, illationes saluti animarum uti-
les perurgendo. E. g. Dominica 18. post Pentec.
ex Occasione Paralitici Christo oblato, dicere quis
possit de gravitate culpæ lethalis. Nam sicut
paralysis, omnes vires, omnem, se per se juvan-
di modum, imò omnem motum adimit; & non nisi
aliena ope sustentari valet: ita culpa lethalis, omnes
animi vires aufert, omnia merita tollit imò ut nullis
motibus supernaturalibus homo moveatur, ex se
meretur: omninoque sola gratuita Dei ope, saluti
restitui potest. Tandem, descenderet ad illationes,
cognitionem gravitatis consequentes, V. g. Quan-
tum debeat Deo homo, quod à letalis culpæ lapsu
servetur. Quantum iterum debeat, si postquam la-
bitur,

labitur; surgat. Quantum etiam, quod à lapsu surgens, non solum stare valet, sed & merita resumat, & eadem cum incremento præmii augere possit. Similiter, si quis exaggeravit in prima parte, mysterium Incarnationis; secundam construere, ex illationibus, inferendo; quomodo debeamus Deo respondere; tam fideli in promissis, tam admirabili in consiliis, tam pio, & in nos propenso in salutis nostræ studiis. &c.

P R A X I S.

Feria II. Pentecostes.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro illo. Joan. 3.

Accessus & propositio. Ignem de Cælo in Mundum missum, hesternæ die esse, teste D. Luca Actor. 2. agnovimus: ignem hunc non novisse nisi ut ardeat, orbemque beatis flammis occupet, hæc verba sic *Deus dilexit mundum*: edocent. Quoniam charitas tanta memoratur nisi ut Spiritus S. flammæ, in nobis excitentur? Majus tamen etiam aliquid intendi, hoc incendio, mens conjectat, quando, non quæcunque charitas Dei, sed summa, ejus erga nos dilectio, memoratur. Est autem id optare, missio hoc igne à nobis Deum, ut omnes, in gratissimum illi holocaustum, per beatos ignes cedamus. Id dum declaro, Spiritus Sancti gratiam supplex imploro.

Con-

Confirmatio constare debet probatione
quod nos velit Deus habere unum holo-
caustum: & subjectis illa-
tionibus.

Prima Pars. Ea est optimi Dei in nos beneficentia, ut cum suo eoque supremo jure, quantumvis maxima nostrum exigere possit obsequia: contractu nihilominus hominibus communi, cum hominibus Deus agat; qui est, *Do ut des, facio ut facias* ut sic nos ad rectè faciendum provocet. Hinc Psalmista 115. *Quid retribuā, inquit, Domino, non quid tribuam, ut significet, se præventum donis & muneribus, Id rursus clarius confitens idem Ps. 26. Prævenisti, ait eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide præioso, coronam utique, qua cinctum caput, nusquam se movere posset, quin in ejus beneficia, quibus se prævenit incideret. Hunc eundem contractum, memorare credenda, verba Evangelii sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret pro illo, ac proinde exigere, ut Spiritus Sancti flammis, humiliter, & copiosè conceptis holocaustum, desiderabile Deo fiamus: quale holocaustum, prius pro nobis filius unigenitus factus, fuit; & quod nos fieri deinde oporteret: An vero ille non holocaustum; ad Eph. 5.2. *Dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis, oblationē & hostiam Deo, in odorē suavitatis, ac ne dubitarem, qualis hæc oblatio & hostia centenda*
olim*

olim in Abrahamo præmoniti sumus, cui Gen. 22. dictum accepimus. *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis: atq; offeres illum in holocaustum.* Sed in Abrahamæ holocausto, ait Zeno Veron. Serm. 1. de Abrahamo *solus Deus doluit, qui aliam victimam procuravit; in holocausto pro nobis oblato.* Sic Deus dilexit mundum ut filium suum daret: quatenus, & nos tantâ beneficentia provocati, nosmet, eidem in holocaustum immolemus, significatum idem per præceptum de holocaustis Num. 20. ubi primum versu 16. dicitur, *Phase Domini erit, offeretisq; incensum holocaustum Domini* Tum. v. 26. *Dies etiam primitivorum* (hoc est Pentecostes, ut docet cum aliis, Cornel. & Monachus hic) *venerabilis & sancta erit; offeretisq; holocaustum.* Quid Phase? nisi holocaustum, quo Christus Pascha nostrum immolatus est? quid dies primitivorum? nisi item holocaustum, quo nos, per spiritum sanctum in die Pentecostes, tanquam primitiæ Christi offeramus, significat? Hinc, & duplex quotidianum holocaustum, mane; Christi oblationem designant; vespere; nostram; ad quam, omnes ex imitatione Christi provocamur. Levit. 1. triplex genus animalium holocausto aptum enumeratur. Ex majoribus, bos aut vitulus. Ex mediis, oves & capræ; nam sub eadem voce Hebræa veniunt; Ex minoribus, vel volucribus, Turtur, vel Columba. Hæc qui interpretantur, Alii censent, per holocaustum primum & maximum, (Ribera lib 4. de templo, capite 3.) signari holocaustum, quod pro nobis obtulit Christus, per medium, holocaustum Martyrum; per po-

stremum, holocaustum Confessorum, alii (ut Ru-
 pert. Radulph. Iside apud Cornel.) docet per ho-
 locaustum boum, significari, victoriam fortium,
 qui labores suos, fraternis substernunt commodis;
 per holocaustum ovium, victimam illorum, qui
 imbecilles corpore, operum innocentia, & morum
 simplicitate subveniunt aliis: per holocaustum
 denique avium, victimam eorum, qui scientia &
 contemplationi vacant, ut Deum agnoscant. Se-
 quamur sensu, quem voluntas cuiusque eligit; ho-
 locausti nos debito obligatos inuenimus, nisi for-
 te nec Martyres, nec Confessores, nec fortes, nec
 debiles, nec Deo digni haberi velimus. Intellexisse
 interea nostrum debitum censendus Philo, qui
 totum mundum *victimam Dei*, definivit; ideoque
 concidi in frustra holocaustum asseruit, ut hac di-
 uisione significaretur, debere nos Deo, nosmeti-
 ipsos, pro sole, luna, terra, mari, aere & reliquis or-
 bis partibus, offerre. Intellexerunt tamen, multo
 melius Christiani, quotquot, aut per sacram vitam,
 aut per ipsum Martyrium, se Deo sacrarunt, inter
 quos merito memoranda, 20. millia Christiano-
 rum, ad quos in Ecclesia congregatos, cum Dio-
 cletianus misisset, ut idolis sacrificarent, ignibus
 aliis exurendi: uno animo responderunt. *Omnes*
nos Christiani sumus, unum eumq; solum, Deum &
Regem esse credimus Christum, ipsi Patriq; & Spiri-
tui sancto sacrificare, atq; nos omnes una offerre para-
ti sumus. Niceph. lib. 7. hist. cap. 6. His adjungenda,
 felix, felicium filiarum mater, quæ cum sub Daria-
 mo Tyranno, ante oculos, cara pignora necari pro

K

Chri-

Christo videret, identidem ingeminabat: *Tibi Christe Domine hoc meum offero sacrificium*, Baron. 522. quo ad usque, & ipsa par victima, caderet. Eja Christiani! assumamus dignos vocatione nostrae animos, & nos, Deo sic, diligenti mundum, ut filium suum daret pro illo, in holocaustum devoveamus: quod ut ritè fiat,

Secunda Pars.

Infertur Primo. Meminerimus victimam holocausti debere esse masculum Levit. 1. & immaculatam. Heu! quomodo illi masculi, qui quacun- que tentatione, quacun- que occasione, quacun- que sociorum invitatione, de via virtutis, ad vitiorum cœnosa protrahuntur. Quomodo immaculati? quibus mens, impuris cogitationibus, os turpiloquiis, cor omnigenis scditibus scetet.

Infertur Secundo. Victimam holocausti, non debere esse cæcam Lev. 2. v. 22. Heu! quomodo non cæci, qui nec cælum respiciunt, ad se sua pulchritudine alliciens: nec terram, nec vanitatem mundanorum gaudiorum, nec pericula præsentis vitæ, nec territamenta æternitatis.

Infertur Tertio. Victimam holocausti, non debere esse mancā neque læsam Ibid: Heu! ubi integritas virtutis! ubi perfectio benè inchoatorum? ubi executio piorum propositorum? Nihil apud multos manca graviterque læsa.

Infertur Quarto, Victimam holocausti, debere ante immolationem extendi, & formari in formam crucis. *Villapan, lib. 3. de temp. cap. 37. Heu! quam multi, minimè ad id prompti! quam facile levissimè ad versitate opprimimur, terrasq; superosq; querelis infestamus.*

T. *MODUS VIGESIMVS SEPT.* 147

Infertur Quinto. Victimam holocausti, debere, pelle detracta, ac in partes sectam, immolari, Unde D. Greg. 1. moral. *Pellem hostiae detrahimus, cum à mentis nostrae oculis, superficiem virtutis amovemus, cujus arctus in frustra concidimus, cum distinguentes; subtiliter, ejus intima, membratimque cogitamus.* Heu! quam multi virtutem jactant, nec colunt, laudant nec amant. Quam multis neglecta conscientiae ratio? Oratio verbis plena, affectu nulla? frequentia in templo non rara, cultus Dei vix ullus.

Infertur Sexto. Victimam holocausti totam ac perfecte, Deo in honorem, exuri atque immolari. Heu! quam multi; quam multum sibi, mundo, voluptati, Deo autem, vix aliquid donant. Quam stultè juvenus vanitati sacratur, senectus caelo promittitur? Quam impiè vinum mundo propinatur, faeces Deo relinquuntur? &c. &c. quæ hic inferri & exaggerari possent.



MODUS XXVIII.

*I*N duas item partes dividitur oratio: quarum alterâ, tractantur quæ ad mores, & instructionem piam spectant: alterâ, quæ ad fidem & controversia dicuntur. Nihil interest quæ prius pars tractetur, nisi res ipsa aliquam connexionem, prioris & posterioris ferat, tunc enim, dispositio Orationis, naturæ rei conformâda. Monet autem Carol. Regius meritò, cōtroversâ materiâ, perrarò apud fideles &